



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-181447-p0001-7

DFG



J. J. 15964.  
DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> INAUGURALIS  
JURIDICA 1708 12  
*De*  
**EXCEPTIONIBUS**  
**POST SENTEN-**  
**TIAM OPPONI**  
**SOLITIS**  
QUAM  
**EX DECRETO**  
**MAGNIFICI JICTORUM ORDINIS**  
**IN UNIVERSITATE ALTDORFINA**  
PRO  
**LICENTIA**  
**SUMMOS IN UTRQ<sup>UE</sup> JURE HONORES**  
**ET PRIVILEGIA DOCTORALIA**  
RITE OBTINENDI  
**SOLENNI ET PUBLICÆ VENTILATIONI**  
SUBDIT  
**AD D. 13. SEPT. CL 15 CCVIII.**  
**JOHANNES CHRISTOPHORUS**  
**SCHROETERUS,**  
**GUMPERTH. FR.**

---

*ALTDORFI NORICORUM,  
ITERIS KOHLESII. UNIV. TYPOGR.*

DIESER TATTO - HANGLURIA  
EXCEPPTIONIBUS  
POST SENTENTIA  
MAIT SOLITIS  
QUAM EX DECERATO  
MAGNIFICUS RUM ODIS  
IN UNIVERSITATIS LIBERTATIA  
LICENCIATA  
SUMMIS INSTITUTIS DOCTORIBUS  
TYPIS ET LIBRIS  
SOTBAM ET TANTUM  
AD SEPT. 1610  
JOHANNI CHRISTOPHERO  
SCHROEDERI  
GOMELI

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC  
DOMINO  
DOMINO  
**ERNESTO**  
**LUDOVICO**

DUCI SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE  
ET MONTIUM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE,  
LANDGRAVIO THURINGIAE, MARGRAVIO  
MISNIAE, COMITI PRINCIPALI DIGNITATE,  
HENNEBERGICO, COMITI MARCAE ET RA-  
VENSBERGAE, DYNASTÆ RAVENSTEINII &c.  
SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS SUMMÆ  
CONSTITUTO REI TORMENTARIAE CAM-  
PESTRIS PRÆFECTO NEC NON SACRI RO-  
MANI IMPERII GENERALIS CAMPIDUCTO-  
RIS LOCUM TENENTI,

**PRINCIPI ac DOMINO**  
**MEO CLEMENTISSIMO &c.**

# SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME



Ratia singulari DEI contingit,  
si ex populi voto imperans  
Princeps , nulli id quod alienum  
retinere, aut quod suum  
sit amittere, permittit. Sed te-  
nuiorum fortunas tuetur ad-  
versus potentiam locupletum,  
damno præter meritum vexatos sovet , possessione  
deturbatos restituit , controversiarum civilium dif-  
ficultates expedit , & maleficia poenis coercet , sup-  
pliciisque recte factis honorem & præmia statuit.

Quod

Quod pariter sum cuique semper tribuas, SERE-  
NISSIME PRINCEPS, universi Tui subditi glorian-  
tur; o Virtutem tanto Principe dignam, cum laude  
maxima Rei militaris sociatam! Cum itaque Te,  
SERENISSIME PRINCEPS, omnes innocentiae,  
potissimum Gloriosissimum Defensorem veneran-  
tur, Tuæ immensa Clementiae haud ingratum  
fore ratus, id audaciæ subii, ut innocentium reo-  
rum, munimenta & exceptiones Inaugurali Dispu-  
tatione sub Rubrica, de Exceptionibus post  
Sententiam opponi solitis, consignata  
SERENISSIMO TUO NOMINI alta submissione  
consecerare haud dubitaverim, devotissimæ spei  
plenus, & de plenissima Tua Clementia & gratosissima  
collatione officii certus, in signum debitæ reverentiae,  
obsequii subiectissimi, & gratæ mentis  
contestationem Tibi, ERENISSIME PRINCEPS,  
hanc Exercitationem Academicam humillime offre-  
ro, submissis precibus efflagitans, ut TUA SERE-  
NITAS hoc munusculum literarum gratosissime  
accipiat, meisque studiis & fortunæ porrò clemen-  
ter faveat, & negotiis subinde ex mandato be-  
nignissimo subeundis me ubique dignum judicet.  
Interea supplex veneror DEUM T. O. M. ut Te  
SERENISSIME PRINCEPS, virtutibus Impera-  
toris


toris & bellicis decoratum in admirationem præsentis ætatis, & memoriam deinceps secuturæ posteritatis, diutissime imperare, & AUGUSTUM PAR FRATRUM eā felicitate quam mortalitas caput, vivere sinat, præterea Principatum optime dispositum semper prosperatum, inclytum reddat. TIBI PRINCIPUM ET HÆROUM OPTIME MAXIME, Tuisque Virtutibus aureo seculo dignissimis, quas præstabit, æternus literarum amor voto majorem felicitatem subiectissime adprecor; cuius salute, Tuorum subditorum, imo hos inter & mea salus atque Patriæ incolumitas unice continetur

# SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME TUÆ DUCALIS SERENITATIS

Altendorff d. 13. Septemb.  
1708.

*humillimus*  
*et*  
*subiectissimus*

JOH. CHRIST. SCHROETER.



## PRÆFATIO.

*S*ententiam definitivam rescindi non posse ab eodem judge, regula adeo firma est, ut nec beneficio Rescripti Imperialis, talis rescissoria sententia prioris, que in rem judicatam transit, sustineatur, per l. fin. C. sententiam rescind. non poss. quando autem in Curis Saxonici Leuterationes per transmissionem actorum ad Collegia Juridica sunt ab eodem ad eundem judicem, valide suam sententiam rescindit Judex, non autem ex suo, sed Collegii sapientum judicio. Præterea nec à partibus opposita exceptio, seu litis contestatio, jus sententiae infringit, sed saltem intentionem actoris talis allegatio excludit. Nam disceptationes forenses suum habent ordinem judiciarium, quem, nefas est prætermittere vel confundere, malto minus autem post sententiam exceptio operatur impedimentum viribus rei judicatae, quoniam partim pro Judicis facto presumitur, per Cap. 23. X. de Elect. & Elect. potest. partim etiam, quia jura volunt à sententia gravatoriali appellationem interponi. Necesse igitur est, ut rationem reddam Rubricæ dissertationis  
mea

ART.

meæ inauguralis, conceptæ de Exceptionibus post Sententiam opponi solitis, scil. per has exceptiones non tam sententia jus impugnatur, quam potius beneficium personale per modum exceptionis, pro avertenda execuzione, Jure afflente, allegatur. Totam verò dissertationem tripartitam effinxi: Pars prima ostendit summam exceptionum divisionem in dilatorias & peremptorias, & quā quæque earum judicii parte opponatur. Pars secunda ante oculos ponit aliquot species ex jure deductarum exceptionum, quæ post sententiam opponi solent. Pars tertia sistit effectus exceptionum enumeratarum peculiares. Cœlestè Numen, ex cuius justo arbitrio fata rerum, sudores, & labores hominum, bono exitu potiuntur, clementer patiatur, ut per hanc Exercitationem Academicam Gloria Divini Numinis celebrior reddatur, & suum cuique periclitanti jus, justitia ita exigente, tribuatur.

TRA-

# TRACTATIO

ipsa

## PARS PRIMA.

Ostendens summam Exceptionum Divisionem  
 & qua quaque earum Judicij parte  
 opponi debet.

S. I.

 Uia singula verba Rubricæ seu inscriptio-  
 nis notoria sunt, & evidenter de se præ-  
 bent intellectum, non opus erit admini-  
 culativa eorum interpretatione; Exceptio  
 autem generatim spectata definiri potest,  
 quod sit defensio tam actori, quam ree communis juxta  
 L. 2. §. 1. & l. 15. ff. de Except. præscript. & præjud.  
 stricte vero si consideratur Exceptio, ea comparata  
 noscitur defendantiorum eorum gratia, cum quibus  
 agitur, & sic recte definitur, quod sit jus, excludendi  
 id, quod in intentionem condemnationis dedu-  
 cendum est; Hæc exclusio fit vel *in perpetuum*, ut in  
 peremptoriis, vel *ad tempus*, ut in dilatoriis exceptio-  
 nibus contingit. L. 2. §. 2. ff. eod. tit. Acl. ad L. 18. S. 1.  
 ff. de verb. signif. Arumeus. Exc. 19. th. 14.

S. II.

Exceptiones dilatoriaæ à differendo ita dicere, quæ  
 non tollunt actionem, sed tantummodo differunt,  
 vulgariter *ante litem contestatam* opponendæ sunt per  
 l. pen. & ult. C. de Except. nisi demum post litem con-

B

testa-

testatam orientur, vel postea opponens juraverit, se  
jam primum earum notitiam consecutum esse. *Cap.*  
*4. X. eod. tit.*, vel totum processum retro nullum red-  
clant, vel non sit tutus accessus ad locum, tunc in qua-  
libet parte judicij opponi possunt. *Brunn. Proc. Cap. 7.*  
*n. 23.* Præterea à judice certum tempus, vel terminus reo assignari potest, in quo omnes exceptiones  
dilatoriæ proferuntur, adeo, ut si postea velit oppon-  
nere, non audiatur, nisi reus fuerit protestatus ex pro-  
babili causa, aut noviter emergat. *d. c. 4. X. d. except.*  
quod idem jure Saxonico est provisum, *Carpz p. 1. Conf.*  
*2. desin. 6.* & in necessitatem juris tractum est in *Ordinat.*  
*Can. p. 3. tit. 24. § 26.*

## § III.

Ad cautelam vero observandum est, quod (1)  
melius sit omnes dilatoriæ exceptiones conjungere,  
& eventualem litis contestationem subjungere, sub  
hac formula: Wenn nun obigen dilatorialischen oder  
Verzöglichen Eintwürfen Rechtlicher Art nach ab-  
geholfen seyn wird, auf solchen Fall und anderer  
Gestalt nicht/will Beklagter sich auf die angebrachte  
Klage eingelassen und item negative contestaret haben  
insonderheit aber negirt Er ic. subjiciantur postea  
puncta vel capitula à reo, quæ neganda existimat (2)  
exceptiones litis finitæ, veluti exceptio rei judicatae,  
transactionis, juris jurandi judicialis, cap. 1. *de Litis*  
*contest.* in 6. exceptio præscriptionis *Zang de except.*  
*p. 3. c. 10. n. 2.* quanquam ex se peremptoriæ sint, in  
vim dilatoriarium, pariter ante item contestatam op-  
ponen-

ponendæ veniunt. | Ord. Cam. p. 3. Tit. 24. Wo der  
Antworter. ic.

### §. IV.

Exceptiones peremptoriæ ab effectu ita dictæ, quod perimant ipsam actionem post litem contestatam, usque ad sententiam opponi solent. *L. 2. C. sentent. rescindi non posse.* adeo ut ante litem contestatam possint quidem opponi, probatio tamen earum eousque differenda. *L. 8. & 9. C. de Except. l. 9. C. de Præscript. long. temp. Zang. de Except. p. 3. c. 16. n. 39. Carpz. Proc. Tit. 9. art. 7. & seqq. & Lib. 2. Resp. 3. n. 13. seqq.* Quâ ratione vero illæ exceptiones sint inveniendæ, egregiè ostendit *Nicol. Vigel. in Dialect. Juris. Lib. 2. de except. inveniendis.* Nos potissimum in eo solliciti erimus, hujus generis exceptiones è diversis locis Juris nostri per potiores species repetere, & per exempla declarare, quæ post sententiam opponi possunt in ipso executionis actu, cum nimirum non sententiæ jus impugnatur, ut in præfatione superius admonui, sed beneficium personale in favorem alicujus ob specialem æquitatis rationem à lege concessum allegatur. *Doctores communiter in l. 1. C. de Jur. & fact. ignor. & in l. Nesen-nius §. fin. ff. de Re judic. Bartol. in l. 38. n. 16. ff. de Rei vindic.*

PARS SECUNDA,  
*Exhibens syllabum exceptionum post sententiam  
 opponi solitarum.*

S. V.

(1) *Exceptio Scti. Vellejani.* **P**RIMO quidem se sifit in favorem sexus mulieris indictum beneficium *Senatus Consulti Vellejani*, quod non permittit mulieres efficaciter ex fide iussione pro aliis obligari *L. 1. & 2. ff. ad SCtum Vellej.* Quanquam igitur mulier intercedens soluta non repetat, tamen si non opposita exceptione condemnata fuerit, utetur exceptione *SCTi. L. 11. ad SCtum Maced.* exemplo filiifamilias in contractu mutui, qui suam exceptionem *SCti Macedoniani* non oppositam in ipsa lite, etiam post sententiam adhuc opponere valet, *d. l. 11. & sic* creditor non potest consequi pecuniam à se mutuo datam *l. 1. pr. eod. tit. indistincte*, sive velut patrem, sive filium patria potestate solutum, sive in haeredes desuper convenire, *d. l. 1. pr. L. 7. §. 10. eod.*

S. VI.

(2) *Exceptio Scti. Maced.* Idem dicendum de Beneficio Restitutionis ex clausula ætatis, dum Praetor ait in *L. 1. pr. & §. 1. ff.*  
 (3) *Exceptio minore minor.* quod cum minore quam 25. annis nato, gestum  
 ris etatis. esse dicetur, uti quæque res erit, animadvertisam, quibus verbis editi prætorii implicite continentur, requisita Restitutionis in integrum, nimirum requiritur  
 (1) minor ætas *d. l. 1. & tot. tit. ff. & C. de minor.*  
 (2) læ-

970.

(2) læsio sive respectu damni , seu lucri cessantis . l. 6.  
Et 7. §. 8. ff. eodem tit. (3) ut læsio attigerit ex calliditate adversarii , vel ex lubrico ætatis , quod per se sufficit . l. 5. C. eod . (4) requiritur , ut qualitas causæ non excludat remedium restitutionis , ut sunt delictum , libertas , venditio pignorum parentis , quemadmodum in Codice per letiēm Rubricarum tales causæ proponuntur . (5) ne alia aetione sit consultum , (6) denique ut in tempore scil . intra quadriennium continuum a tempore legitimæ ætatis proponatur . l. 16. pr . l. fin . Cod . de temp . restitut . in integrum . Minores autem restituuntur in integrum , etiam contra sententiam , neglecto appellationis remedio , per L. ait Prator 7. §. pens . l. Preses 42. ff. de minor . L. peremptorias 2. C. sentent . rescind . non posse Et tot . tit . C. si ad versus rem judicat , quod consequenter de causis prius in Judicium deducitis est intelligendum , uno casu minori appellatio necessaria sc . contra sententiam restitutionis in integrum dene-gatoriam , l. 1. Et l. fin . C. si sèpius restit . in integrum postul .

§. VII.

Huc referenda merito est exceptio armata militia , (4) Excessi enim miles propter simplicitatem allegationes libiprio ar- competentes omiserit ex ignorantia Juris , tunc si mata mis- nondum satisfecit , ipsi permittitur , si coepit exsen-titia . tentia conveniri ad implementum rei judicatae , de-fensionibus adhuc uti . L. 1. C. de Jur . Et facta ignoran- tia ; Regulariter quidem ignorantia juris non sufficit ad restitutionem in integrum , cum quis potuerit con-

fulere peritiores , aut si vis facta , implorare superioris auxilium *L. 9. §. 3 ff. de Jur.* & *facti ignorantia L. 2. l. 3. Cod. eod. l. fin. in pr. ff. quod metus causa*, tamen milites excusantur , quos magis arma scire oportet , quam jura *L. ult. C. de Jur. Deliber.* excipiunt Vasallum militem , qui tempus petendi investituram stricte observare debet , quo præterlapso , sequitur beneficii amissio , quod ante aliquot annos Marchionii cuidam Italiae obvenit , qui publice Viennæ citatus est ad videndum se incidisse in pœnam privationis feudi , ad ductum Textus feudal. i. F. 22.

## §. VIII.

(5) *Excep-* Quintum exemplum capi potest in *beneficio com-*  
*tio com-*petentiae , quod marito , focio , donatorii , & illi ,  
*petentiae.* qui bonis cessit , datum est , quando nimisrum tales  
 personæ non amplius impetendæ sunt , quam in  
 quantum facere , vel salvâ suâ conditione solvere pos-  
 sunt , *L. 12. l. 13. L. 15. 16. 17. 18. cum simil. ff. de re ju-*  
*dic.* sed dupli ratione attribuitur , scil. *deducto ære*  
*alieno* , quo modo pinguus est , & Donatori proficit.  
*L. 49. D. de re jud.* & *non deducto ære alieno* , quo  
 sensu marito , focio , & similibus competit.

## §. IX.

(6) *Excep-* Naturam exceptionis competentiæ sapis *exceptio-*  
*pto qua-* *quadrantis* & particularis solutionis : Prius benefici-  
*drantis.* um , quod vocant quadrantis , indultum est depau-  
 peratis debitoribus , qui non solvendo sunt , & suam  
 inopiam seu impossibilitatem solvendi quadrantem  
 probarunt , tanquam fundamentum intentionis , du-  
 biuum

bium verò nullum est , quin & ille quadrans anti-  
quarum pensionum vel usuvarum , ob debitoris depau-  
peratam conditionem remitti possit , ita tamen si  
debitor solvendi impossibilitatem etiam quoad hunc  
quadrantem sufficienter ostenderit , dictus Recess. no-  
viss. Lex enim in regula præsumit debitorem solven-  
do esse , qui enim solvendo adhuc sunt , his non da-  
tur , per expressam dispositionem R. N. 16, 4 §. die (7) Exce-  
Verflohene §. 1. Sezen demnach . Alterum benefi- ptio par-  
cium particularis solutionis , der Bezahlung auf Fri- ticularis  
sten / ex eod. Recess. Imperii bellorum injuriā depau- solutionis  
peratis debitoribus pariter indulgetur , R. N. §. So  
viel nun 172. B. Petr. Schulz Diff. de solut. partic. c. 3.  
n. 12. seqq.

## §. X.

*Exceptio compensationis* , quod post sententiam (8) Exce-  
oppioni valeat , in ipso actu executionis , ab eo , qui i pti com-  
judicati convenitur , nemini dubium est , p. L. 2. C. pensatio-  
de compensatione juncta L. 18. §. fin. ff. commodat : Hoc nis.  
tamen cum grano salis est accipendum , quando de-  
bitum compensandum sua habet requisita , scil. requi-  
ritur , (1) ut utrumque subsit debitum purum , quod enim in diem debetur , ante diei adventum non  
compensatur L. 7. pr. ff. de Compens. (2) Debitum  
utrinque liquidum , quia debiti illiquidii compensatio  
prohibetur , per L. fin. C. eod. tit. (3) adeisse debet vel  
utrinque debita quantitas , cum species cum specie ,  
vel species cum quantitate , ob repugnantiam obje-  
cti non compensetur . L. 4. L. 8. cum simil. eod. tit. (4)  
ut

ut versemur in hujusmodi debitis , quibus compensatio procedat ; Cessat enim compensatio in causis alienitorum , tributoriae functionis , fideicommissis civitatis , &c. de quibus in *L. 3. C. depos.* item in causa momentanei possessorii , e. g. quando prædo convenitur per interdictum , unde vi , *L. fin. C. de Compens. juncta, L. 8. C. unde vi.*

### §. XI.

(9) *Exce-* Si in solidum unus ex mandatoribus est conde-  
*pio ce-* mnatus , cum Judicati conveniri coeperit , Modesti-  
*denda-* nus JCtus respondet , posse eum desiderare , ut adversus  
*rum actio* eos , qui idem mandaverunt , actiones sibi manden-  
*nun.* tur , vel cedantur , *L. si fidejussores 42. §. i. ff. de Fide-  
jussoribus & mandato-* cessionem actionum quo-  
que petere potest tutor *L. 95. §. 20. D. de solut.* : Cor-  
reus debendi . *L. 2. C. de duobus reis & alii* , quia æ-  
quissimum est , ut , cum haec cessio actionis alteri  
non noceat , mihi verò profit , ad eam teneatur cre-  
ditor , *arg. L. 2. §. §. ff. de aqu. pluv. arcend.* De-  
claratur , ut procedat , etiamsi beneficio cedendarum  
actionum fuerit renunciatum , quamvis hoc casu so-  
lutio ob renunciationem differri nequeat . *Carpz. p. 2.*  
*Constit. 17. def. 17. n. 7. §. 8.*

### §. XII.

(10) *Exce-* Bonæ & malæ fidei possessores deducunt impen-  
*ptio dedu-* fas de fructibus perceptis , quia non intelliguntur  
*ctionis fructus* , nisi deductis impensis , idque ipso jure  
*impensa-* *L. 36. §. fin. de hered. petit. L. 46. ff. de usur. L.*  
*rum.* *§. ff. de impensis in res dotal. fact.* Quoad arti-  
culum

culum Restitutionis fructuum , distinguere debemus  
*dupliciter* inter impensas ipsorum fructuum gratia  
 factas , & inter impensas , quæ extrinsecus extra fru-  
 ctus acceserunt ; Quod attinet priores impensas , sub-  
 distinguendum est ; Nam fructus vel percepti sunt ,  
 vel non , de fructibus perceptis impensæ deducuntur ,  
 ast si nihil fructuum perceptum , bonæ fidei possesso-  
 ribus servantur impensæ , non verò prædonibus L.  
 37. eod. In secundō membro impensarum extrafructus  
 factarum distingui solet à Doctotoribus inter impensas  
 necessarias , utiles , & voluptuarias . Tractatum de  
 impensis declarant *DD. communiter ad titul. ff. de hæ-  
 red. pet. Et tit. de rei vindic.*

## §. XIII.

Pertinet porrò ad hunc censem *Exceptio indem- (11) Exce-*  
*nitatis seu cautionis legalis* , quæ radicata est in L. *ptio cau-  
 pen. ff. de hæred. petit. Et L. is à quo. 58. ff. de Rei tionis  
 vindicat. Casus dictæ legis penult. talis est : Possidebam *legalis.**  
 hæreditatem quandam , proposuit adversus me Titius  
 hæreditatis petitionem , dicens se verum esse hæ-  
 redem , ex alio latere dicebat Sejus idem , Titius  
 festinavit plus in agendo , & obtinuit , quæritur ,  
 an sit hæreditas ei restituenda , ac si aliis non pe-  
 tiisset , & dicitur , quod sic , sed cavebit , datis fi-  
 dejussoribus , de conservando me indemnem , si  
 ab alio conveniar , quia melius est , officio judicis  
 cautione vel satisdatione victo mederi .

## C

## §. XIV.

## S. XIV.

(12) Excep-  
tio-  
nem et usuras in liberando pignore , ex L. 16. §. 6.  
conde-  
ff. de pignor. Nimirum si contra debitorem juratum  
mnatio-  
sit in item , liberatur de æquitate debitor tantum  
nis ultra solvendo , quantum debet , exoneratur etiam hy-  
fortem &  
usuras. pothecha , sed quæstionis est , utrum à sententia se-  
cundum juramentum lata , quia causa semel transiit  
in condemnationem , indeque quantum ad subtilita-  
tem legis , & auctoritatem sententiæ , pecunia debe-  
tur , in juramento contenta. Sed humanius est , non  
amplius eum , quam quod revera debet , dando hy-  
pothecato liberare. Opponunt L. 1. in fin. C. etiam  
ob Chirograph. pecun. ubi pignus potest retinere cre-  
ditor pro pecunia etiam chirographaria , pro qua non  
est obligatum , licet debitum , pro quo est obligatum ,  
sit solutum , Glossa solvit , quod ibi creditor possi-  
deat pignus , hic non. Salicet. ad L. 16. §. 6. ff. de  
*Pignor.*

## PARS TERTIA.

*Sicut effectus , et Contraria , item declarat  
Nobile Judicis officium.*

## S. XV.

**E**fsectus memorables potissimum sequentes pro-  
manant , (1) quod hæ tales exceptiones , si per  
sententiam rejectæ fuerint , aut alioquin intrica-  
tæ , maxime , si in actis ante sint allegatae , nec in  
judi-

judicando attentæ & longiorem novæ litis indaginem  
requirant, haud debent remoram afferre executioni  
p. l. si autem 8. s. 2. ff. de Neg. Gest. L. fin. s. 1. C. de  
Compens. (2) Hæ exceptiones, si non admittantur  
ab Executore, committitur excessus executionis, &  
licita est provocatio p. L. ab executione s. C. quorum Ap-  
pell. Gail. 1. Observ. 113. (3) Sententiae jus non im-  
pugnatur, ceu superius dictum est, p. 1. s. 4. sed sal-  
tem beneficium legale, quod rigorem juris alio-  
quin obtinentem, ob specialem æquitatis rationem  
attemperat, pro avertenda executione per modum ex-  
ceptionis allegatur; Ex his beneficiis quædam perso-  
nalia sunt, quæ ad certam & in individuo personam  
eamque unam. 1. plures diriguntur s. 8. J. de J. N. G.  
& C. quædam intuitu cause concessa, seu realia cen-  
sentur, ut beneficium Scti Veliejani ad hæredes mul-  
lieris transit, L. 20. ad SCtum Vellej. Ita pignoris  
possessores qui pro muliere vel filiofamilias pignus ad-  
strinxit, potest similiter exceptiones ex dictis, Velle-  
jano & Macedoniano Sctis competenter opponere. 1.  
2. ff. que res pignor. I. hypoth. dat. oblig. non poss. Idem  
dicendum de beneficio restitutionis in integrum, quod  
competit etiam heredibus minoris per L. 5. C. de Temp.  
restitut. hujus vero legis dispositio bene notanda est,  
quæ pertractat, per quantum tempus possit heres re-  
stitutionis beneficio gaudere, & distinguit tripliciter,  
vel enim minor succedit minori, vel major succedit  
minori, vel minor succedit majori; primo casu habet  
jura integra & sic potest successor post completos 25.

annos intra quadriennium restitutionem disiderare.  
*d.l.5. f. 1.* secundo casu datur à tempore hæreditatis  
& acceptæ bonorum possessionis quadriennium ad  
proponendam restitutionem & terminandam *f. 3. ibid.*  
Tertio casu minoris jura percensentur ex persona de-  
functi, & sic tantum tempus ad restitutionem com-  
petit, quantum defuncto reliquum fuit. (4) Exceptio-  
nes quædam anomolæ in qualibet judicij parte oppo-  
ni possunt, quæ scilicet judicium retrò reddunt nul-  
lum, ut exceptio mandati, legitimationis personæ,  
atque excommunicationis majoris *Cap. 12. de Except.*  
nam excommunicatus agere nequit, *Cap. 7. de judic.*  
ut nec reconvenire *Cap. 5. de Except. Mindan. de Pro-*  
*cess. lib. 3. c. 6. n. 4. Hillig. in Donell. lib. 17. cap. 5. lit. p.*  
*sed. conveniri potest. Hillig. d. l. 17. Cap. 5. lit. d. Me-*  
*nnoch. lib. 3. præf. 29. n. 52. seq.* nec his obstat terminus  
perepmotorius per Judicem assignatus *Clement. unic.*  
*de Except.*

**S. XVI.**

Differentia enim hac in re notanda venit, quod  
quidam habeant personam legitimam standi in Judi-  
cio, loco rei, sed non actoris. ut filiifamilias. *L. 9.*  
& *L. 34. ff. de oblig.* & *action.* sic nil prohibet, ex-  
communicatos, vel bannites & similes ab aliis con-  
veniri in Judicio, ne profit eis poena, sed jus agendi  
denegatum est, sic Judicium non subsistit in perso-  
nis minorum 25. annis, nisi Tutor vel Curator inter-  
venerit, & quidem indistincte, sive loco actoris, sive  
loco rei in judicio velint disceptare. *L. 2. C. qui legitim.*  
*person.*

*person. standit.* idque etiam in servis sine respectu ad Dominos consideratis olim apud Romanos indistincte obtinebat.

### §. XVII.

Obstare videtur effectus litis contestationis seu *Contra-Judicij coepi*, quoniam in Judicio quasi contrahitur, & partes liti se committendo intelliguntur, velut in vicem convenisse, respectu partitionis rei judicatae, & prosecutionis Judicij, quod unus altero invito resilire nolit, sed præstare illud quod adjudicatum fuit. *Bartol.* in d. l. 3. §. *idem Sribit.* num. 7. ff. *de pecul.* ut inde implementum obligationis ex litis contestatione oriundæ dependeat ex futurâ sententia condemnatoria, sententiae vero effectus retrotrahatur ad tempus litis contestatæ.

### §. XVIII.

Præterea graviter obloquuntur textus Juris civilis, nimirum l. sed & si suscepit. 52. pr. ff. *de Judic.* & l. fin. *Cod. de Except.* quia regulariter exceptions dilatoriæ proponendæ sunt ante Litem contestatam, ergo sua sponte fluit, quod lite cœpta per citationem, & Responsionem Rei ad libellum conventionalem opponi amplius nequeant. Imo Jure Constitut. effectus Judicij coepi referunt simpliciter ad omnes exceptions dilatorias & peremptorias, ita scil. ut iis postea via sit præclusa. *Rec. Imp. de Ann. 1654.* §. Es soll auch. 37. & f. Nun hätt der Beklagte. 40. Sed ejusmodi Rationes dubitandi nobis non officiunt, quia versamur in casibus exceptis.

C 3

§. XIX.

---

**§. XIX.**

Potissimum refragari videtur , quod si Judex permittat , ut except. post sententiam opponatur , id præjudicare ipsius auctoritati , sed ad hoc dubium sufficienter respondi , partim in præfat. partim ad §. 4. quippe non sententia Judicialis infringitur , sed saltem privilegium , quod competit , Jure assistente , allegatur ; nec etiam Judici prolongatio actuum judicialium imputari potest , quia legum auctoritas ita decrevit , ut exceptiones etiam post sententiam & finitum hujuscemodi judicium , adhuc opponi possint , quamvis tardius allegantes sua privilegia in præsumtâ fraude versentur , quod suis defensionibus uti omiserint , & per consequens in expensas retardati processus , rebus sic stantibus , condemnandos esse reor .

**§. XX.**

Non excludendum hic est arbitrium & officium Judicis , quod ex usu fori duplex est , Nobile & Mercenarium , posterius in hac nostra specie obtinet , quia subservit actioni , huic vero offici exceptio , sed Judicis officium nobile imploratur , si deficit actio , ut in Restitutionibus ; exemplum in L. 21. f. 5. ff. quod met. caus. ubi quis restituitur in integr. adversus additionem hereditatis , metu illato factam . Sunt alia exempla ex usu fori passim obvia ; Ita si arbitri post suscepitum compromissum , nollent sententiam dicere , testes Testimonium ferre , ne supprimatur veritas in præjudicium Tertii compellendi essent , implorato officio

officio Judicis nobili. *l. Labeo. 3. S. 3. ff. de Recept. Arbitr. l. pen. C. de testib. &c tot. tit. X. de testib. cogend. & quidem per remedia coactiva, quæ habentur in L. 9. §. 6. in fin. ad L. Jul. pecut.*

### §. XXI.

Officium Judicis nobile quomodo obtineat, distinguendi tres casus aut versamur (1) *in casu à Jure expresse prohibito*, & non valere debet contra Juris prohibitio- nem præatoria aut eujuscunque Magistratus auctoritas. *L. 40. ff. mand. L. 64. §. 9. sol. matrim.* (2) aut versamur *in casu à jure expresse permisso*, & non est dubitan- dum, quin nobile Judicis officium implorari possit, ubi lex alicui succurri permittit (3) *denique in nec prohibitis nec expresse permisis à Jure*, Nobili offi- cio Judicis locum damus, ubi æquitas concurrit, ut Jūdex imploranti succurrat, sic creditores immisi ex primo decreto, si ab aliquo turbentur, non habent interdictum, ut possidetis, adversus turbatorem, *L. 3. s. 8. ff. uti possidet*. quia tamen æquitas suadet eos contra vim defendi, ex usu pratico implorari potest nobile Judicis officium.

### §. XXII.

Hæc propter urgentem festinationem rudi mi- nerva deducta pro nunc sufficient! Tu verò *Benevole Lector*, indulgebis veniam, si hoc Thema elegans pro sua dignitate non pleniori manu tractatum esse, perspicis, siquidem angustia Termini meæ absentiae

præ-

præfixi, nec longiorem moram recipit, nec majorem diligentiam huic labori adhiberi permisit.

Ad ultimum Deus Ter Optimus Maximus, à cuius providentia omnis felicitas & calamitas in mortales proficitur, fata mea dura & prospera ita dirigat, ut fortiantur DIVINO SUO NOMINI GLORIOSUM, SERENISSIMO PRINCIPI DOMINO MEO CLEMENTISSIMO fructuosum REIPUBLICÆ utillem & mihi optabilem  
FINE M.

**D**Octa Themis capiti nunc confert  
præmia digno,  
Quæ secli vitio non peritura puto.  
Est Themidos data nunc constans sententia  
castæ

Quod merito exornet laurea tanta caput.  
Non datur hanc contra quædam hinc exceptio, votis  
Omnibus eximio dignus honore viges.

Hisce paucis  
PRÆNOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO,  
fautorij suo atque amico perquam deve-  
venerando animitus gratulari voluit,  
debut.

J. W. P.





Aldorf, Diss.) 1708/09

ULB Halle  
004-574 63X

3




TA → OL  
nur A + B verknüpft und f



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-181447-p0030-8

DFG



Farbkarte #13

B.I.G.

